UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv, Sacræ Theologiæ Professoris, Et sanctæ Inquisitionis Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtvtibvs, Et Vitiis Contrariis, In ...

Continet Tractatvs De Conscientia, De Peccatis, De Legibvs, De Fide, Spe, Et Charitate

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

3 An omnis hæresis, aut apostasia pœnis Ecclesiæ subiecta sit, & quotuplex sit hæreticus

urn:nbn:de:hbz:466:1-76540

Visual Library

non poſſe aliquem pœnis Eccleſiaſticis puniri. ſic Azor *tom.* 1. *lib.* 8. *c.* 9. *q.* 4. Cordub. *lib.* 1. *q.* 17. §. 1. *dub* 2. *verſ reſpondet magiſter.* Suarez *diſp.* 19. *ſect.* 5. *n.* 12. Moueor, quia mihi videtur impoſſibile talem diſſenſum manifeſtari poſſe eſſe contrarium fidei; cum enim ſupponamus reuelationem illam eſſe ſpecialem, neque alteri cognitam præter illum, qui illam habet, quomodo conſtare poteſt aliis, cùm tu diſſentis reuelationi, verè diſſentire, erat enim ad huiuſmodi manifeſtationem omninò neceſſarium reuelationem clarè cognoſci. Dixi, ob ſolum diſſenſum ſpecialis reuelationis: ſi diſſenſus eſt non reuelationi ſpeciali, ſed generali; & à tota Eccleſia propoſitæ? clarum eſt ſic proferentem incidere in pœnas iuris, modo diſſenſus manifeſtus ſit. Vnde qui diceret primæ veritati per priuatam reuelationem manifeſtatæ non eſſe credendum, hæreticus punibilis ab Eccleſia eſſet quia negat propoſitionem à tota Eccleſia receptam. Idem dicendum eſt in caſu quo quis negaret aliquam propoſitionem, putans eſſe ab Eccleſia definitam, quæ tamen non eſt, licèt hæreſim committat, vt bene dicit Sanchez *ſuprà n* 30 & Farinac. *de hæreſi q.* 179. § 1 *n.* 2: at ſi manifeſtet ſe nolle credere, quod exiſtimat ab Eccleſia eſſe definitum, pœnas non incurrit, & tradit expreſſe Suarez *diſp* 21. *ſect.* 2. *num.* 10. vbi apponens ſigna, quibus hæreticus exterior conſtituitur, dicit: Si quis veram propoſitionem credat cum animo deliberato non credendi contrarium; etſi Eccleſia illud definiat, quamvis rem creditam exterius proferat, ſi animum ſuum non declaret, non incurrit excommunicationem, quia nondum eſt hæreticus exterior.

16 Quinta difficultas eſt, eſt an negans fidem verbo, vel facto tantùm, interius retinens aſſenſum, committat hæreſim punibilem ab Eccleſia? Concedunt aliqui, quia Eccleſia non iudicat de occulta intentione, ſed de exteriori actu, ſic Caietan. 2. 2. *q.* 12. *a.* 2. *fine* Cæterum tenenda eſt communis ſententia negans hunc eſſe hæreticum, pœnaſque incurrere. Quod autem hæreſim non committat eſt manifeſtum, quia hęreſis eſt peccatum fidei oppoſitum: fides autem conſiſtit in voluntario aſſenſu intellectus diuinæ reuelationi. Ergo hæreſis debet neceſſario conſiſtere in voluntario diſſenſu illius. Ergo ceſſante diſſenſu intellectus, ceſſat peccatum hæreſis formaliter. Ex quo fit ceſſare etiam debere pœnas hæreticis impoſitas; quia pœnæ non ſunt extendendæ ad alia delicta, præter ea, quibus impoſitæ ſunt, & ita tenet pluribus relatis Sanchez *lib.* 2. *c* 7 *n.* 8: Leſſius *lib.* 2. *c.* 43 *dub.* 2. *n.* 11 Suarez 5 *tom in* 3. *part. diſp* 4. *ſect.* 2. *num.* 22. *& diſput.* 21. *ſect.* 2. *num.* 3. *& de fide, diſput.* 14. *ſect. vlt, n.* 3.

17 Aduerto tamen pro foro externo hunc ſic negantem verbo, vel facto fidem, ei non credi allegantí ſe feciſſe abſque intentione; quia ſtat aduerſus illum præſumptio, cùm nemo ſerio præſumatur dicere, vel facere, niſi quod ſentit. Aliàs ſi excuſatio hæc hæreticis prodeſſet, omnes impuniti euaderent, ſiquidem faciliimo negotio hanc poſſent excuſationem aſſumere, Simancas *de cathol inſtit. tit.* 13 *n* 15. Repert. inquiſit. *verbo probatio, verſ. nota* Rojas *tract de hæret.* 1. *part. n.* 304. *& ſeqq* Farinacius *de hæreſi quæſt.* 179 *n.* 55. *& ſeqq* vbi concludit: Doctoribus hinc inde adductis reum ſi delictum confiteatur, & intentionem negét, torquendum eſſe ſuper intentione, & non relaxandum; ſecus verò ſi non ſolum confiteatur delictum, ſed de illo ſit conuictus: tortus autem ſuper intentione, ſi negans perſtiterit, non eſt indicenda purgatio, & abiuratio, ſi ſufficienter tortus fuit? ſecus verò ſi non fuit ſufficienter tortus, quia per torturam iudicia purgauit. ſic tradit Farinac. *ſuprà num* 61. iunctis iis quæ dicit *q.* 185. *n.* 126. *& ſeq.* Simanc. *de cathol. inſtit. tit.* 56. *rubr de purgat canon n.* 17. Franc. Pegna *direct* 3. *par. rub. de tertio modo terminandi proceſſum n.* 157. *commeno.* 39. *litt. l. & part.* 2. *comment.* 14 *ad c. inter ſollicitud. de purg. cã. verſ atqui ex hac interpretatione.*

18 Sextò difficultas eſt, an negans propoſitionem theologicam committat hæreſim, vel quod peccatum ſit.

Aliqui affirmant hæreſim committere, quia ſaltem mediatè diuinæ reuelationi opponitur. ſic Valent 2. 2. *diſp.* 1. *q* 11. *part.* 1. *diſſin.* 3. Cano *lib.* 12. *de locis theolog. c.* 9 *col* 15. *verſ. enim verò.* Bonacina *diſp.* 2. *de cenſur. quæſt.* 5. *n.* 5. vbi licèt in princ. numeri dixerit hunc præſumi, in fine dicit excommunicationem contrahere.

19 Tenendum tamen eſt hæreticum non eſſe, bene tamen præſumi. ſic Aragon 2. 2. *q.* 11. *art.* 2. *verſic. his tamen non obſtantib.* Sanchez *lib.* 2 *in Decalog. c.* 7. *n.* 33. *& c* 8. *n.* 12. Suarez *diſput.* 19. *de fide, ſect vlt. num.* 3. *& ſeqq* Ratio prioris partis eſt, quia ſtare optimè poteſt, vt quis credat quidquid à Deo reuelatũ eſt, cum negatione alicuius propoſitionis theologicæ, eo quod ſibi non videatur rectè deduci, ex principio reuelato, & euidenti, vel ex eo quòd principio euidẽti non aſſentiatur. Ergo negare propoſitionem theologicam non eſt hæreſis. Adde hæreſis eſſe non poteſt, niſi diſſenſus obiecti reuelati. Concluſio theologica non eſt reuelata. Ergo eius negatio non eſt hæreſis. Si autem inquiras, in qua peccati ſpecie debeat conſtitui? Mihi probabilius apparet per ſe, & formaliter ad vitium curioſitatis ſtudioſitati oppoſitum in materia omnium grauiſſima pertinere; quia temerè, & imprudenter conatur ſcire contra id, quod ab omnibus receptum eſt per accidens tamen ad hæreſim pertinet, quia in proximo periculo labendi contra fidem negans inducitur. Secunda autem pars concluſionis quòd ſcilicet negans propoſitionem theologicam præſumatur hæreticus, videtur manifeſta, quia nemo præſumitur negare propoſitionem theologicam, ex eo quod principio euidenti, & illationi euidenti non aſſentiatur, ſed ex eo quòd non aſſentiatur principio ſupernaturali fidei. Quapropter ſi in illa negatione perſtiterit, tanquam hæreticus negans principium reuelatum, eſt puniendus, vt bene Sanchez *lib.* 2. *in Decalog cap.* 8. *num* 12.

20 Septimo difficultas eſt, an ad hæreſim punibilem ab Eccleſia requiratur baptiſmus? Dixi, ad hæreſim punibilem: nam ad hæreſim credo tanquam certum baptiſmum non requiri, cùm enim tota malitia hæreſis ſita ſit in diſſenſu alicuius veritatis reuelatæ, & hunc diſſenſum æquè habere potes, ſiue baptizatus ſis, ſiue non; manifeſtè ſequitur ad hæreſim baptiſmum non requiri. Adde ex recepta ſententia, vt in ſuperiori diſputatione diximus, tres tantum ſpecies inueniuntur infidelitatis; hæreſis, paganiſmus, & Iudaïſmus: ſed qui confitetur, & negat prius ſacramenta: quamvis baptizatus non ſit, non eſt Iudæus, neque paganus. Ergo eſt hæreticus. Ergo ad hæreſim baptiſmus non eſt neceſſarius.

At licèt ad peccatum hæreſis baptiſmus neceſſarius non ſit, eſt tamen neceſſarius, vt hæreſis, Iudaiſmus, & paganiſmus punibiles ſint ab Eccleſia. ſic docent Azor *tom.* 1. *lib.* 8. *inſtit. moral. cap.* 9 *quæſt* 3 Simancas *de catholic inſtit. tit.* 31 *num* 6. Suarez 5. *tom de cenſuris, diſp* 21. *ſect* 2 *n.* 4. *& de fide diſp* 19. *ſect.* 5. *num.* 8. Sanchez *lib.* 2 *c.* 7 *n.* 34. Farinac. innumeros referens *de hæreſi, q.* 178. *à num.* 128. 131. *&* 135. Ratio eſt manifeſta, quia baptiſmus eſt ianua, per quam in Eccleſiam quis ingreditur, & eius iuriſdictioni ſubditur. Quapropter Concilium *ſeſſ.* 4 *cap.* 2. dixit Eccleſiam in neminem exercere iuriſdictionem, qui non prius in ipſam per baptiſmi ianuam fuerit ingreſſus. Ergo cum Eccleſia iuriſdictionem non habeat in non baptizatos, non poteſt illos punire. Ex quo fit, ſi catechumenus à fide, quam intendebat ſuſcipere, recedat; non poſſe eius peccatum ab Eccleſia puniri, quia verè non fuit in Eccleſiam ingreſſus & tenet Azor, Suarez, Sanchez, Simancas, Farinacius *ſuprà.* Quòd ſi baptiſmum ſuſcepit, ſed inualidum ex defectu formæ materiæ, vel intentionis, aliqui exiſtimant ſic recedentem à fide puniri per Eccleſiam poſſe; quia iam ex voluntate videtur ſubiectus, & quaſi obligatus mandatis Eccleſiæ parere. ſic Simancas *de catholic inſtitut. tit.* 31. *n.* 5 Gabr. 4 *diſtinct* 13 *quæſt.* 2. *art.* 1 *verſ. recta tertiò* Alphonſ. de Caſtro *lib.* 1 *de iuſta hæreticorum punitione c* 8 Azor *tom.* 1. *lib.* 8 *cap.* 9. *q.* 1. *verſic. ſi quæras* Farinacius *de hæreſi q.* 178. §. 6. *n.* 135. Contrarium tamen eſt omnino tenendum, quia ſi baptiſmus inualidus fuit, neque imprimit characterem, neque conſtituit recipientem membrum Eccleſiæ viſibilis; aliàs non eſſet repetendus. Ergo neque poteſt Eccleſiæ iuriſdictioni ſubiicere recipientem. Et confirmo, fictè baptizatus verè eſt extra Eccleſiam, quia eſt extra verum baptiſmum: fictio autem baptiſmi non poteſt eſſe ingreſſus in Eccleſiam, ſed verus baptiſmus. Quapropter ad hæreſim, paganiſmum, vel Iudaïſmum ab Eccleſia punibilem, neceſſariò requiritur, vt hæreticus, paganus, vel Iudæus prius receperit fidem in ſacramento baptiſmi: & ita tenet Sanchez alios referens, *illo c.* 7. *num.* 34. Suarez *locis citatis.* Quocumque autem modo verè recipiatur baptiſmus; etiamſi fuerit per metum, & iniuriam, iuriſdictionis Eccleſiæ, manet ſic recipiens ſubiectus, quia verè eſt intra Eccleſiam, & membrum viſibile illius: eſt textus expreſſus *in cap maiores, §. nunc autem. verſic ſi opponitur, de baptiſmo, cap contra Chriſtianos de hæreticis, in* 6. & tradit Pegna *director.* 2 *part quæſt* 44 *comment.* 69. *verſic iam quæ.* Repert. inquiſit. *verbo baptiſmus, verſic. vtrum qui fuit baptizatus, & in verbo cogendi, verſic nunc autẽ* & multis allegatis docet Farinacius *de hæreſi, quæſt.* 178 §. 6. *n.* 141. *&* 142.

Quomodo autem hæreſis à paganiſmo, iudaiſmo, & Apoſtaſia diſtinguatur, & qua ratione inter ſe differant, ſuperiori diſp. reſoluimus.

PVNCTVM III.

An omnis hæreſis, aut apoſtaſia pœnis Eccleſiæ ſubiecta ſit, & quotuplex ſit hæreticus.

1 *Hæreſis interius tantum conſummata pœnis Eccleſiæ non ſubiicitur, vt probabilior ſententia fert.*
2 *Debet manifeſtari exterius verbis, vel factis ſufficienter hæreſim exprimentibus.*
3 *Quibus in caſibus non debes cenſeri hæreticus exterior.*
4 *In quibus reputandus es hæreticus.*
5 *De diuiſione hæretici in affirmatiuum, & negatiuum.*

1 CIrca primum punctum controuerſia grauis eſt inter Doctores, an ſufficiat hęreſis, & Apoſtaſia purè mẽtalis

quæ in corde conſummatur ad incurrendas pœnas iure Eccleſiaſtico introductas. Diuiſi ſunt Doctores, alij affirmant, alij negant, quos accuratè refert Sanchez *lib.2.in Decalog. cap.8. n.1.& ſeqq.* Suarez *de fide, diſp.21.ſect.2.num.2.* Farinacius *de hæreſi q.192.§.1.à num.4.* Auguſt. Barboſa *2.part. de poteſtate Epiſcopi, alleg.40. à num.6.* Verior mihi ſemper viſa eſt ſententia negans hæreſim interiori actu conſummatam ſubijci Eccleſiæ iuriſdictioni; quia cùm talis actus viſibilis non ſit, Eccleſiæ viſibili ſubijci non poteſt. Item Eccleſia non poteſt de illo iudicare. Ergo neque poteſt illum punire. Quòd ſi hæreſis interior in exteriorem actum prodeat, quamvis occultiſſimum, & nemini alteri à committente notum, Eccleſiæ iuriſdictioni ſubijcitur, & pœnas à iure ſtatutas contrahit, quia tunc ille actus per ſe cognoſcibilis eſt ab Eccleſia, & ſolùm per accidens ex defectu teſtium, qui abfuerunt, non cognoſcitur. ſic Simancas *de catholic.inſtitut.tit.42. rubr.de occultis, num.1. & ſeqq.* Bannes 2. 2. *quæſt.11. art.4. verſ. ſecunda concluſio.* Greg. de Valent. *ibi art.3. verſic. ſed animaduertendum* Farinacius *de hæreſi,q.192.§.1.num.6.* Sanchez *lib.2.in Decal. c.8.n.2. & ſeqq.* Auguſt. Barboſa *2.part. de poteſtate Epiſcopi, allegat.40.n.9.& 10.* Suarez *num.6.*

2 Quæ autem ſint verba, vel facta hæreſim interiorem manifeſtantia, benè explicat Azor.*tom1 lib.8.c.10. quæſt.4.5.6. & 7.& ſeqq.* Thomas Sanchez *lib.2.cap.8.à n.6.* Bannes 2.2. *quæſt.11.art.4 quæſt.2.concl.3.* Suarez *diſp.21.ſect.2.à num.8.* Breuiter dici poteſt neceſſarium eſſe, vt verba, vel facta ſint ſatis expreſſiua interioris hæreſis, ſiue hanc expreſſionem habeant à ſe, ſiue ex circumſtantiis adiunctis, & ex qualitate perſonæ; quia hæreſis externa cognoſcibilis, & punibilis conſtitui non poteſt, niſi ſignis illam ſufficienter, & integrè declarantibus. Secundò eſt neceſſarium vt ſigna, quibus hæreſim profiteris, ſint in materia hæreſis peccatum graue, quia hoc ſolum eſt, quod excommunicatione, aliíſque pœnis punitur; ſic pluribus relatis docet Sanchez *lib.2.c.8.n.7.* Suarez *diſp.21. ſect.2. à num.9.* Eman.Saa *verbo excommunicatio Bulla, n.2.*

3 Has conditiones pluribus exemplis, & caſibus ſpecialibus ſupradicti Doctores explicant, quos omnes longum eſſet, & ferè impoſſibile recenſere; ſi enim ſupradictæ conditiones benè perpendantur; facilè eſt de omnibus iudicium ferre. Claritatis gratia difficiliores percurram. Et in primis certum eſt, ſi verba, vel facta indifferentia ſint, & ex quibus præciſè ſumptis non poteſt colligi hæreſis interna, te hæreticum exteriorem non eſſe, vt contingit, ſi credens non eſſe ſacramenta, proferas tantum, *verè non ſunt*; quia hæc verba præciſè non denotant hæreſim illam mentalem, in hoc enim omnes conueniunt. Et idem eſt de factis, ſi credens, iurare falſum ob amicum, aut ſimplicem fornicationem non eſſe peccatum, & de facto iures, vel forniceris, iuramentum vel fornicatio non declarant ſufficienter tuam hæreſim mentalem, cùm ſæpè ex malitia, & voluntate hominibus placendi, ſatisfaciendíque voluptati fiant: ſic omnes relati Doctores. Subdunt tamen ſi verbis ambiguis, & æquiuocis hæreſim interiorem pronuntiares, vt ſic peruerſitatem tuam melius occultares, te fore hæreticum externum, quia illa verba ſufficienter manifeſtant hæreſim, & ambiguitas ſolum deſeruit diſſimulationi, quæ non videtur diminuere culpam, ſed aggrauare, ſic Suarez *num.10.fine.* Sanchez *num.26.* Bonacina *diſp.2.de cenſuris q.5. punct.1.num.6.* At hoc crederem intelligendum eſſe, cùm verba non ſint perfectè ambigua, ſed in malam partem communiter accipiantur, aut ita accipienda eſſe, obligant aliquæ circumſtantiæ. Nam ſi verba, quæ bonum, ac malum ſenſum habent, & ex qualitate proferentis, aut aliis circumſtantiis ad malum ſenſum determinari non poſſunt; non video qua ratione eorum prolatio hæreſim externam, & cognoſcibilem conſtituat, præſertim cùm recepta ſit Doctorum ſententia, verba, vel facta, quæ duplicem ſenſum habere poſſunt, Catholicum, & hæreticum, interpretanda eſſe in Catholico ſenſu, vt aliis relatis docent Rojas *in tract. de hæret.1 p.n.200.* Farinac.*q.187.n.11. & ſeqq.* Rurſus non es hæreticus exterior, ſi credens non eſſe Chriſtum in ſacramento Euchariſtiæ, hunc interiorem actum Confeſſori vel amico gratia petendi conſilium manifeſtes, quia illa manifeſtatio non eſt peccaminoſa, ſed bona, & laudabilis, neque eſt formaliter profeſſio hæreſis, ſed narratio hæreſis interioris; ſicut ſi alterius hæreſim narrares: ſic docuit Suarez *n.10.* Sanchez *n.19.20.& 25.* Auguſt Barboſa *alleg 40.n.18.* Bonacina *ſuprà n.7.* Verùm ſi ex complacentia in hæreſim, hæreſim manifeſtes, tenet Auguſt.Barboſa *n.19.* te fore hæreticum externum, ſed credo diſtinguendum eſſe, vt diſtinguit Sanchez *n.21.* ſi enim complacentia manifeſtetur, & ex illa denotes te in præſenti ſupradicto myſterio fidei diſſentire; clarum eſt te fore hæreticum externum: at ſi ſolum manifeſtes te aliquando conſenſiſſe, & illius conſenſus habere complacentiam, nòn es hæreticus externus, quia illa manifeſtatio non eſt hæreſis profeſſio, ſed narratio hæreſis habitæ, qua cum compati fides poteſt. Vnde Eman.Saa *verbo excommunicatio Bulla Cœnæ num.2. in edit. Rom.* dicit, hæreticus nòn eſt, qui petit conſilium, aut refert hæreſim, aut tranſcribit, etiamſi illam interim mente teneat. Item non es hæreticus externus, ſi in ſomno, vel ebrietate hæreſim interiorem proferas, quia illa prolatio non eſt voluntaria hæreſis profeſſio. ſic Suarez *n.12.* Sanchez *n.24.* Pegna *director. 3.part. comment.17.pag.mihi 420.*

4 E contra tunc debes cenſeri verus hæreticus exterior, quando verbum profers, vel opus facis, aut omittis, ex quo hæreſis ſuſpicionem gignis: ſic alios referens docet Sanchez *n.15. & 16.* quia tunc ſufficienter hæreſis manifeſtatur, aliàs raro hæretici dicerentur manifeſti, ſi hæc verba, vel facta non ſufficerent. Ex quo fit, ſi ritus, & cæremonias, aliáque opera facias, vel omittas, quæ communiter ſoli hæretici, vel apoſtatantes à fide faciunt, vel omittunt, hæreticus exterior præſumendus es. Quocirca ſi cùm ex genere Iudæorum ſis, feſtiuitates, Iudæorúmque ieiunia obſeruas, cum Iudæis conuerſaris, Chriſtianos veteres fugis, nomine Iudæo vtaris, ad Iudaiſmum præſumeris tranſiſſe. De his ſignis latè agit Repert. Inquiſ.*verb.cognoſcuntur,& verb.commiſſio.* Pegna *direct.2.p. q.44.com.69.* Decian.*in tract.crim.lib.5.c.15.n.5.& 6.* Farinac. *de hæreſi, q 178.§.6.n.138.* Menoch. *lib.2.de arbitr.caſu 547.* Item eſt ſufficiens hæreſis præſumptio, ſi matrimonio copulatus ſcienter alteri nubas; eáque de cauſa, de hoc crimine Inquiſitores cognoſcunt, & de leui ſuſpicione abiurare reum faciunt, ſic pluribus relatis docet Farin. *q.178.n.68.* Pegna *2.p. direct q.56.com.81.* Menoch.*de præſump.lib.5.præſ.6.n.37.* Quocirca ſi culpabiliter credens licitum tibi eſſe duas vxores ducere, ducas? hæreſim ſufficienter manifeſtas. Item ſi diebus prohibitis carnes comedas, nulla habita occaſione, ſuſpectus videris reddi de præceptis Eccleſiæ non benè ſentire; ac proinde, ſi non benè ſentiens carnes comedas, in hæreſim exteriorem incidis. ſic Sanchez *n.15.* Pegna *in add.ad Eymer.direct.2. p.ad c.1.de hæret.fol.87.verſ.at ſi peccatores.* Faric.*q.178.n.80.* Repert.inquiſit.*verbo cognoſcere.verſ ſed an iudex.* Dixi, nulla habita occaſione: nam ſi aliqua prætendi poteſt, ceſſat præſumptio, & manifeſtatio hæreſis. Pariſ.*conſ.169.n.67.* Farin.*n.80.* vide omnino Pegna *direct.3.p.* vbi de ſignis, quibus profeſſores variarum ſectarum cognoſcuntur, eruditè agit *à comment.23. num.109. & ſeqq.*

5 Circa ſecundum punctum, quotuplex ſit hæreticus, aut apoſtata à fide? communiter Iuriſperiti duplicem eſſe dicunt, affirmatiuus vnus, alius negatiuus. Hæreticus affirmatiuus eſt, qui hæreſim interius conceptam verbo, vel opere manifeſtat. Negatiuus, qui de hæreſi legitimè conuictus hæreſim negat. ſic Repert.inquiſi.*in verb.hæreticus, num.35.& verſic.hæreticus negatiuus.* Farinacius plures referens *de hæreſi quæſt.178. §.1.num.19.& 20.* Circa quam diuiſionem aduerto requiri, vt quis tanquam hæreticus negatiuus condemnetur, & curiæ ſæculari puniendus tradatur. Primò quòd verbis, vel factis claris, & parentibus hæreſim manifeſtauerit. Secundò quòd talis manifeſtatio per teſtes conteſtes, & omni exceptione maiores conuincatur. Nam his duobus ſtantibus, ſi quis neget hæreſim, conuincitur nolle relinquere illam, ſed impœnitens exiſtere; ſi quidem illam negat, ne abiurare cogatur. ſic Albertin. *in tract.de agnoſcenda aſſert. cathol.quæſt.34.num.51.* Rojas *de hæretic.1.p.n.84.& ſeq.* Farinac.*de hæreſi, q.178.§.1. num.22.* Dixi, per teſtes conteſtes: nam ſi pluribus ſingularibus teſtibus conuincatur, non debet tanquam negatiuus condemnari, & curiæ ſæculari tradi, ſed expectandum eſt aliquod tempus, & inquirendum, an teſtes conteſtes inueniantur, & interim torquendus, vt veritas ex ore ipſius habeatur. Quod ſi in negatiua perſeuerat, quia in hoc caſu per torturam non videtur indicia integrè purgaſſe; ad abiurationem, aliáſque pœnitentias arbitrio iudicis imponendas deueniendum eſt, non autem ad relaxationem curiæ ſæcularis. ſic Pegna *3. part.direct comment.121.* vbi de teſtibus, *pag.mihi 620.* ibique optimè declarat, qui dicantur teſtes ſingulares. Subiungunt ij Doctores aliam duplicem conditionem. Prima, vt ſic accuſatus aſſeruerit prædicta verba, vel facta ſe credere, & aliis credenda propoſuerit. Sed hæc conditio non eſt diuerſa ab ea, qua quis facta hæreticalia facit; tunc enim in actu exercito dicit ſe illa credere, aliíſque credenda proponit, quia nemo præſumitur contra mentem operari. Reflexa autem manifeſtatio, & in actu ſignato, (vt dicunt) ad hæreſim neceſſaria non eſt. Alia conditio eſt, vt verba, ſeu facta hæreticalia ſint prolata, & geſta de recenti, & non tempore antiquo, de quo præſumi poteſt obliuio. Sed vt benè dicit Farinac. *n.2.* cum Pegna *in direct.inquiſit.2.part.q.34.commen 59 & 3 part. tit. de duodecimo modo terminandi proceſſum, comment. 48. num.208.* attendenda eſt qualitas hæreſis, quæ imputatur Nam in aliquibus hæreſibus hæc obliuio præſumi poteſt per decennium, aut per quinquennium, vel triennium, arbitrio iudicis: at in factis hæreticalibus grauibus, & ſolemnibus, qualia ſunt imagines conculcare, ſectam falſam prædicare, templum deſtruere, in nullo tempore obliuio præſumitur. Vide Pegna *ſuprad. comm 59.*

Pvn

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN